Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 2. Januarii.

M. PHILIPPO TOURBIER, Doctore Medico, Præſide.

An ſanguineis, ſenſus acutiores?

OMNIUM animantium, quæ naturæ legi, & imperio ſubdita jacent, homine nullum perfectius, cui cœleſtes igniculos, ſummus rerum artifex, & ſemina divinitatis inſculpſit. Illius & cæterorum animantium ortus, toto cælo diſcrepant; illis cum ſemine traduces animæ ſedes ſibi fingunt, & adornant; homini verò, ſemen, ab omnibus corporis partibus deciduum circa trigeſimum à conceptu diem, animam cælitus infuſam excipit, quæ non in cerebro, non in corde tantum ſedem fixit, ſed & minimas quaſque particulas informat quibus ita jungitur & eo nexu unitur corpori, ut ſuos ſibi viciſſim affectus communicent: Hinc mens ſana in corpore ſano; ut formam omnium nobiliſſimam, ſic temperatum corpus ſuis moribus, & actionibus aptiſſimum nactus eſt homo, nec ineptè cæterarum rerum index & menſura dicitur, quamvis enim diverſi generis partibus conſtet, ex mutua tamen illarum contemperatione & mutuo concentu, per ſpiritus, & humores, unum totius temperamentum ad juſtitiam reſultat, adeo ut pars unaquæque ſuis actionibus edendis commodam adepta ſit temperiem; ut cæteris animantibus actionum perfectione præſtat, ſic & temperamento, ex cujus varietate, animorum, & acuminis ſenſuum, omne diſcrimen dependet.

ANIMA, prima naturalis, & organici corporis perfectio, temperatum corpus adepta, probè ſuis omnibus fungitur actionibus, inter homines temperatus ille dicitur, & perfectus, qui εὔσαρκος, quadratus & ſucci plenus exiſtit, qui laudabilem habet partium ſimilarium temperiem, organicarum juſtam & concinnam coagmentationem, utrarumque commodam & naturalem unionem, cui meliore luto finxit præcordia Titan: has naturæ dotes poſſidet ſanguineus qui ſenſuum ſive internorum, ſive externorum, multâ felicitate præ cæteris gaudet: Quemadmodum ex quovis ligno non fit Mercurius, ita nec ex quovis temperamento, ſenſuum acumen, & ingenium eluceſcit; non omnium temperamentorum unus idemque modus, illorum infinitus penè numerus eſt, undè tot & ita diverſæ hominum proprietates exurgunt, & naturæ, quarum notionem in rebus medicis non exigui momenti cenſet Galenus: Inter hæc quod medium, inſtrumentum eſt animæ perfectiſſimum, ac velut in circulo centrum, ex quo feliciores corporis, & animi ſenſus exurgunt, in hoc medio, cognoſcens anima, in cerebro, tanquam in arce penitùs inſidens, hauſtarum rerum imagines ſenſibus externis deportatas excipit æqua rerum judex, & æſtimatrix; ſomnus & vigiliæ communis ſenſus affeclæ felicius exercentur, quàm ſomnus dulcis temperatorum artus occupat?

SENSUS externi quinque numerantur, interioris veluti ſatellites, organis, objectis inter ſe diſcrepantes, duo neceſſitatis, vitæ commodioris reliqui tres, ad elementa revocantur; viſus ſenſuum externorum nobiliſſimus actionis perfectione, cæteros antecellit, ſpeciebus admiſſis, & emiſſis ſpiritibus editus, aqueus; olfactus, quo multis animantibus vincitur homo; ab ea quam habet cum atomis igneis ſimilitudine, cenſetur igneus, hujus ſenſus organa, ſunt mammillares proceſſus in anteriore cerebri parte collocati, à nervis non abſimiles; auditus diſciplinæ ſenſus, aereus, cujus inſtrumentum aer, in ima auris cavitate reconditus, guſtus & tactus terrei, tactus per univerſum corpus diffuſus, cujus eſt inſtrumentum cutis, tactilium differentias fideliter referens, ejus in ſanguineis mollities cum raritate conjuncta, ut exquiſiti temperamenti effectus, ſic & index, in vola manus præſertim, homini propter prudentiam non conceſſæ; ut ex ungue leonem, ſic ex manu hominem, inutilis ideo Cheiromantia. Bilioſis ſiccior cutis & aſperior, obtuſiorem ſenſum denotat, & duræ per brachia eorum ſetæ promittunt atrocem animum; Melancholicorum, frigidior & ſiccior, rerum objectarum mendacior internuntia; pituitoſorum frigidior & humidior, omnis ferè ſenſus expers eſt; æquus rerum judex debet eſſe ἀπαθής.

NÆ, ſuam in reſpondendo alacritatem, expeditam in dicendo ſuavitatem, in exercendo dexteritatem, cæteris prætulerint bilioſi, ſuaque quibus valent corporis & animi bona, eo namque rapiuntur aliquando temperaturæ ſuæ impetu, ut mira proferre videantur, & efficere, vehementiores ſunt illis animi motus, non ideò feliciores, leviſſimi eorum ſomni, quos tumultus, quos rixæ, incendia, animæ commotiſſimæ indicia comitantur; Melancholicorum quærelæ nos non morabuntur, nec obſtabit effatum philoſophi aſſerentis, eos acri præditos ingenio, temperies illorum frigida, ſicca, omnibus animæ muniis feliciter obeundis penitùs adverſatur, non melancholicus humor ingenioſos facit, ſed ingenium melancholicos, craſſitie ſuâ mentis actionibus officit, ſpiritus infuſcat, animum terrore complet, ingenium hebetat, diffuſus per habitum corporis, oculos inficit fuſco colore, linguam acerbo ſapore infeſtat, & cæteros ſenſus contaminat, quod ſi ſanguini permiſtus ſit, à temperie ſua recedens, & temperatior factus, laudandos ſatis in animo motus excitat: Omnem intemperiem ſuperat pituita, ſenſibus quibuslibet exercendis inepta, torpida mens, ingenium tardum, obtuſum, ad ſomnum magna propenſio, ſenſuum hebetudo, hæc pituitoſum denotant.

TEMPERAMENTORUM varietati, non parum conferunt parentes, gaudeant hi, quorum genitores, natale ſolum, alimenta, optimæ ſuæ temperiei multa contulere, qui viret in foliis venit è radicibus humor, ſic patrum in natos abeunt cum ſemine mores, morbi, temperies, qui temperatis ſubjiciuntur regionibus, multis fruuntur bonis naturæ noſtræ commodis, aeris clementia, ſoli bonitate, ſiderum affluxu benigno, & ea eſt corporum eorum temperies, ut vix credere ſit ullos felicius, & diutius vitam producturos, iis heroica ingenia, iis ſenſus omnes vigent, ita ut ullo vix ſuperari poſſint. Aſianos laudat Hippocrates, ut in medio exceſſus omnis poſitos, & temperatiſſimos, quos non hebetes ſed ἠπιοτέρους καὶ ἀεργοτέρους aſſerit, qui conſuetudine magis quam naturæ vitio molles evadant & effæminati: feliciter ille natus eſt, cui caſtigatiore corporis formâ vividus effloreſcit color, cui viſcera benè diſpoſita, partibus cibum temperaturæ ſuæ accomodatiorem præbent, multis ſpiritibus perfuſum? qui, quò puriores, quo tenuiores ſunt quales in ſanguineis, quòd ſint animæ in exercendis ſuis actionibus miniſtri, anima felicius operatur, & acutius.

Ergo ſanguineis, ſenſus acutiores.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Robertus Raoul.
M. Matthæus Thuillier.
M. Ioannes-Baptiſta Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine.
M. Guydo Creſcentius Fagon, Reginæ Francorum & Sereniſſimæ Delphinæ Principis, Medicus primarius.
M. Petrus Pourret, Vnici Fratris Regis, Medicus ordinarius.
M. Antonius de Caën.
M. Franciſcus Pijart.

Proponebat Pariſiis JOANNES DUMESNIL, Andegavenſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.